

remes classemque ex Istris evocatam , frustra classem alteram biremium & parvorum navigiorum ad Padum Athesimque flumina facilius enaviganda jam esse comparatam : tantum pecuniæ temere impensum , si decemviri profectionem impediant . quibus illi vocibus permoti rem Senatui permiserunt . Senatus pluribus dictis sententiis literas ad magistratus Patavinos dedit , Fossam Clodium ad præfectum classis milites quingentos statim mitterent . Angelique mandavit , ut iis in naves receptis militibus ostio Carbonaria Padum ingrederetur , prædas abigeret , regiones quas posset ab utraque ripa popularetur . posteroque die in foro edictum publice propositum , qui vellent ad diripiendos Ferrarenses suis privatim navibus cymbisque proficiisci , per reipublicam licere ; dum præfecto classis dicto audientes sint : quam quisque prædam faceret , suam fore . Ea re magnus plebis numerus suis in navigiolis se ad classem contulit .

Dum hæc administrantur , imperator legatique Veronam cum exercitu vadentes , Suavum municipium in plano ad primam Alpium declivitatem ita positum , ut arx in jugo sit , præmisso equitatu & Gradonico legato receperunt , interfectis hostium militibus non paucis , qui a Maiximliani præfectis Verona , ut in arcem se inferrent , mittebantur . cumque Veronæ appropinquarent , equitatum præmiserunt , ut ad portas se ostenderet ; si quis in oppido tumultus per amicos reipublicæ fieret . Iis ad portas perequitantibus , nemine se commovente , equites Sequani centum egressi , prælio levissimo commisso se in oppidum receperunt : ex quibus captus unus legatis renunciavit , esse in oppido militum tria millia , atque ex iis Hispanos plurimos , equitum alteros totidem , ex quibus erant Galli quingenti , quos amissa Vicetia præfecti regii Brixia evocaverant . Quibus rebus cognitis , imperator veritus , ne si ejus copiæ oppido circunfunderentur , aliquod incommodum acciperet ; substituit , neque ausus est ulterius progredi . quod quidem imperatoris consilium ab Gritto & Marcello legatis , atque ab Lucio , qui ad eos

*Decernitur
in Ferrarensim Du-
cem expedi-
tio .*

Pata-